



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Eivsdem Vita Ex Ioanne Tritthemio desumpta.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

12 VITA IOANNIS CLIMACI.

num quendam Moysen inuitum illum, ad fratrum magisterium & regimen assumpserunt, lucernam (vt ita dixerim) super principatus candelabrum eleuantes: optimi sane talium iudices, nec spe sua frustrati sunt. Ascendit enim & ipse ad montem, sacramque caliginem subiens, Dei manibus conscriptam legem suscipit. Deique contemplatione fruens, & intellectualibus gradibus scandens, verbo Dei aperuit os suum, & spiritum attrahens, eructauit verbum bonum de bono thesauro cordis sui. Sic igitur impleuit finem visibilis vite in principatu Israelitarum monachorum, in hoc solum a Moysse differens, quod supremam Hierusalem summa facilitate conscendit. Ille enim nescio quomodo, etiam terrena frustratus sit. Attestantur autem his que diximus, quotquot per eum spiritus sancti eloquijs & gratia potiti sunt, plurimique ex his eius gratia saluari sunt, hodieque saluantur. Testis optimus sapientis huius salutis, simulque sapientie nouus Dauid. Testis item & pastor noster optimus Ioannes, a quo magnus ille exoratus de Synai monte ad nos usque anime cognitione descendens, veluti nouus aliquis Dei speculator, suas a Deo tabulas inscriptas ostendit nobis: extrinsecus quidem actiue vite, intrinsecus vero contemplatiue doctrinam continentes.

EIVSDEM VITA EX
Ioanne Tritthemio de-
sumpta.

IOANNES Climacus, quod Latine sonat
scenastrius, Abbas montis Synai, vir in diuinis
Scripturis studiosus & eruditus, ingenio excel-
lens,

VITA IOANNIS CLIMACI. 73

lens, mitis & humilis, vita & conuersatione deuotus atque sanctissimus, cum adhuc sexde im esset annorum, mundum cum suis oblectamentis deseruit & in dicto cœnobio monachum se fieri instituit. Deinde post annos decem & nouem, cum iam solitarius pugnare & vincere secundum regulam monachorum didicisset, cum licentia Abbatis sui eremum petiit, in qua multis annis in omni sanctitate solus cū Deo habitauit. postremò cum vita eius sanctissima omnibus innotuisset, unanimi omnium consensu in Abbatem eligitur, & renirens, ad cœnobiū reuocatur. Scripsit ad Ioannem Abbatem de Raythum opus celeberrimum, & pio institutione monachorum valde accommodum, habens sermones triginta, quod prænotatur.

De triginta gradibus lib. 1. A bono & superbono.

Ad Pastorem, Sermonum lib. 1. In inferiori libro.

Epistolas plures ad monachos lib. 1.

Et quædam alia

In quibusdam locis, maximè ubi de hominis spiritualis mortificati impassibilitate tractat, à modernis Theologis reprehenditur, sicut apud Ioannem de Gerson in certis tractatibus inuenitur.

Claruit circa tempora Constantini, Constantij & Constantis, fratrum, Imperatorum, qui regnauerunt Anno Domini, 346.

EPISTO.